

[1] 1 Multis de causis Caesar maiorem Galliae motum exspectans per Marcum Silanum, Gaium Antistium Reginum, Titum Sextium legatos dilectum habere instituit; 2 simul ab Gnaeo Pompeio proconsule petit, quoniam ipse ad urbem cum imperio rei publicae causa remaneret, quos ex Cisalpina Gallia consulis sacramento rogauisset, 3 ad signa conuenire et ad se proficisci iuberet, magni interesse etiam in reliquum tempus ad opinionem Galliae existimans tantas uideri Italiae facultates ut, si quid esset in bello detrimenti acceptum, non modo id breui tempore sarciri, sed etiam maioribus augeri copiis posset. 4 Quod cum Pompeius et rei publicae et amicitiae tribuisset, celeriter confecto per suos dilectu tribus ante exactam hiemem et constitutis et adductis legionibus duplicatoque earum cohortium numero, quas cum Quinto Titurio amiserat, et celeritate et copiis docuit, quid populi Romani disciplina atque opes possent.

[2] 1 Interfecto Indutiomaro, ut docuimus, ad eius propinquos a Treueris imperium defertur. Illi finitimos Germanos sollicitare et pecuniam polliceri non desistunt. Cum ab proximis impetrare non possent, 2 ulteriores temptant. Inuentis nonnullis ciuitatibus iureiurando inter se confirmant obsidibusque de pecunia cauent: Ambiorigem sibi societate et foedere adiungunt. 3 Quibus rebus cognitis Caesar, cum undique bellum parari uideret, Neruios, Aduatucos ac Menapios adiunctis Cisrhenanis omnibus Germanis esse in armis, Senones ad imperatum non uenire et cum Carnutibus finitimisque ciuitatibus consilia communicare, a Treueris Germanos crebris legationibus sollicitari, maturius sibi de bello cogitandum putauit.

[3] 1 Itaque nondum hieme confecta proximis quattuor coactis legionibus de improviso in fines Neruorum contendit et, 2 priusquam illi aut conuenire aut profugere possent, magno pecoris atque hominum numero capto atque ea praeda militibus concessa uastatisque agris in ditionem uenire atque obsides sibi dare coegit. 3 Eo celeriter confecto negotio rursus in hiberna legiones reduxit. 4 Concilio Galliae primo uere, ut instituerat, indicto, cum reliqui praeter Senones, Carnutes Treuerosque uenissent, initium belli ac defectionis hoc esse arbitratus, ut omnia postponere uideretur, concilium Lutetiam Parisiorum transfert. 5 Confines erant hi Senonibus ciuitatemque patrum memoria coniunxerant, sed ab hoc consilio afuisse existimabantur. 6 Hac re pro suggestu pronuntiata eodem die cum legionibus in Senones proficiscitur magnisque itineribus eo peruenit.